


eò meliorem excusationem , si urgeretur à judicibus , maximè sacerdotalibus , ad jurandum , dicendo : *libenter vellem, sed punirer à Domino Papā, si jurarem, sine veniam* : & sic non poterant judices eos afficere pœnâ nolentium jurare de calumniâ : *cum enim non stat per eum, ad quem pertinet, quod minus conditio impleatur, haber debet perinde, ac si impleta fuisset.* R. J. 66. in 6. D. Potest esse : neque enim ego credo , quod ipsi clericî valde proclives fuerint ad jurandum de calumniâ , ut *propter eos coercendos* hæc clausula pœnalis debuerit adjici : ergò *propter judices* videtur adjecta esse ; ne post hac compellerent illos , quibus , nequidem volentibus , licet jurare absque licentiâ . C. Sed quomodo punirentur transgressores ? D. Pœna non exprimitur , neque h̄c , neque alibi in canonibus : itaque *arbitrio Papæ* reservatur : Episcopus potuisset puniri interdicto ingressûs in Ecclesiam : Abbas suspensione ab administratione : clericus suspensione ab ordine , aut ab officio , & beneficio , secundum ordinarias regulas de quantitate pœnarum .

*Cetera dabuntur in primâ disputatione post ferias.*



## EX JURE GENTIUM.

*Textus.*

*Pro derelicto habetur, quod dominus eā mente abjecit, ut id in numero rerum suarum esse nolit.* §. 47. Inst. de R. D.

## Scholion.

- I. *Abjicere* dicit aliquod factum domini; quò etiam pertinet *deser-tio* rei immobilis.
- II. Itaque sine facto domini res ejus videri non potest *derelicta*. Arg. l. 11. ff. de R. J.
- III. Hoc factum vel est sponte volentis, vel inviti, ac dolentis ja-cturam. Arg. l. 43. §. 10. & 11. ff. de furt.
- IV. Primum inducit justam *derelictionis* fidem; non secundum, licet abjiciens desperet copiam recuperandi.
- V. In eādem mente benè stant simul, *impossibilitas*, ut ipse do-minūs recuperet abjectum, & *retentio dominii* cum desiderio recuperandæ possessionis.

*Casuum ex his principiis resolutio.*

- Ex a.) Quæ de rhedā currente non-intelligentibus dominis cadunt, non sunt habenda pro derelictis. §. ult. *Inst. de R. D.*, nec  
 b.) Ligna, quæ vi aquarum longius abripiuntur. Arg. l. 8. §.  
 ult. ff. *famil. ercis.*,  
 &c.) Porcus faucibus lupi à venatore ereptus, licet aliàs eum nun-quam recuperaturus fuisset dominus. l. 44. ff. de *A. R. D.*  
 d.) *Ampliatio*. Hæc vera sunt, quamvis prehendens talia ignoraret, cuius sint. l. 43. §. 5. ff. de furt.
- a.) Machinæ bellicæ, & horrea annonaria, quæ hoste immi-nente ab exercitu deseruntur, non fiunt alterius occupantis, quam ipsiusmet hostis.
- Ex b.) Quæ *destruendi animo* projiciuntur in flumen, aut flaminis committuntur, ut sèpè fit in bellis, sunt cuiusvis primò ca-pientis :
- c.) Non autem, quæ solius navis levandæ causâ. l. 9. §. ult. ff. de *A. R. D.* l. 1. §. 8. l. 8. ff. de leg. *Rbod.* l. 7. ff. pro derelict.

**Excipe.** Nisi talia fuerint, quæ dominus scit statim ex ipsâ projectione fore peritura. l. 43. §. 11. ff. de furt.

**d.)** Propter hoc solum, quod dominus res naufragas, non nisi maximo periculo, aut sumptibus rei estimationem aequalibus, recuperare potuisset, non debet concludi ad animum delynquendi.

### EX JURE CANONICO.

Ad Tit. XXV. lib. II.

Excipiens non videtur fateri ea, quæ logicè includuntur in exceptione. Cap. 6. b. t.

Ad Tit. XXVI.

Præscriptio obligationis faciendi non procedit cum malâ fide; scilicet est in obligatione patiendi.

Ad Tit. XXVII.

Privata scientia non potest movere judicem, ut secundum eam pronunciet, impedit tamen, quod minus falsæ probationes animum ejus moveant ad pronunciandum secundum illas, sive in civili, sive in criminali causâ, sive res sit magni, sive parvi momenti.

Ad Tit. XXVIII.

Clausula: *appellatione remotâ*, si de facto constiterit, removet etiam probabilem appellationem, & generaliter omnem, quæ à jure non indulgetur expressè. cap. 53. h. t.

Ad Tit. XXIX.

Beneficium, clericis peregrinantibus hic concessum, competit etiam laicis.

Ad Tit. ult.

Si confirmatio detur in formâ communi, particula sicut importat conditionem, sine qua non: si autem in formâ specificâ, idem vult, ac quia.

### Casus Canonicus.

Episcopus Germaniae sine consensu Capituli territorium, sibi cum